



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 4. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

ex meridie in boream progressi sunt; dicitur à vicinis populis *Sir-fey*, à Turcis *Saniacatus Semendriensis*, & Rasciam includit, quæ à Razis populis nomen accepit, quos *Chalcondylascum Seruiis*, & *Sirfeis* confudit: dicitur & à quibusdam *Segonia*.

N V M. 2. *Qualitas.*

MIRÆ fertilitatis est, sed maximè in campo Cassouico *Cassouupole* ab indigenis, ab Germanis *Amelsfeld*, qui tribuitur aliquando Bulgariæ, quam attingit. Regio quoque trans Danubium amœnissima, sed quæ Belgradam præcingit omnes Europæas amœnitatem vincit.

N V M. 3. *Mores.*

LABORIS patientissimi sunt, quare his sæpe operis vtitur Turca in bellis. Omnes agricolæ, omnes Piscatores: Ragusini soli merces suas distrahunt. Ritum Græcum sequuntur, sed in funeribus, seruant aliqua, quæ sapiunt Ethnicos: pauci sunt Latini ritus. Turcæ autem in pagis commorantur ad vias publicas.

N V M. 4. *Politia.*

OLIM Despoten habuit, cui paruit quoque Bosnia; quo cæso, Hungarus sibi vettigalem fecit; hinc à Turcâ occupata est, & per Beglierbegum administrata olim, cuius sedes Belgrada: sed promotis Imperij Turcici finibus, Beglierbegus Budam translatus legatum suum, vulgo *Caimacan*, reliquit Belgradæ, per quem Seruia regitur.

§ 6. *De Bulgaria.*N V M. 1. *Nomen.*

NOMEN retinet à populis Bulgaris, qui à Volgâ Fl. dicti: alij tamen volunt esse reliquias Gepidarum, seu Getarum: Nicephorus Gregoras à Bulga Fl. horum nomen deriuat.

N V M. 2. *Qualitas.*

REGIO aspera est, & montibus editissimis ac niue diuturnâ obiectis tumet. Hic quoque pluviæ frequentiores, ob paludes quibus intercissa est, vnde vapores erumpunt, qui ex frigore montium facile se in imbræ induunt. Armenta Boum, & Ovium greges facile nutrit ob pascua.